


BS
2325
.S64
IMC





Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

D^r ANDREJ SNOJ


†

VETEROSLAVICAE VERSIONIS EVANGELIORUM

PRO

CRITICA ET EXEGESI SACRI TEXTUS

MOMENTUM



ROMAE

PONTIFICIUM INSTITUTUM BIBLICUM

1922

ANIMADVERSIONES

VETEROSLAVICAE VERSIONIS EVANGELIORUM
PRO CRITICA ET EXEGESI SACRI TEXTUS MOMENTUM.

Versionem veteroslavicam, a *S.S. Cyrillo et Methodio* ⁽¹⁾ saec. IX (863-884) adornatam, ex textu graeco originem ducere hodie iam a nemine in dubium vocatur. Nihilominus, cum sit illa tam recentis originis, nulla, vel fere nulla ei auctoritas critica pro sacri textus historia attribuitur. E. JACQUIER in opere, cui titulus « *Le Nouveau Testament dans l'Eglise chrétienne* » ² Paris 1911-1913) sic scribit: « Cette version slave est très importante pour l'histoire de la langue; elle l'est assez peu pour la critique textuelle » (2, 284). Similiter C. R. GREGORY tum in *Prolegomenis ad Novum Testamentum Graece*, quod edidit Tischendorf (editio octava critica maior, vol. 3. Lipsiae 1894, p. 1119), tum in opere recentiore « *Textkritik des Neuen Testaments* » 1. 2. Leipzig 1900, p. 736 aliique permulti.

Et revera, dum in veteroslavica versione a philologis slaviceis summa exploraretur industria, theologi (etiam slavici) eam plus iusto parvi aestimabant eiusque studium neglegebant. At hoc mirandum non est. Textum enim veteroslavicum non nisi servilem translationem codicum graecorum Byzantinorum exhibere ideoque usui critico vix inservire posse, omnibus persuasum erat.

Ex iis, qui relationem Novi Testamenti veteroslavici ad codices graecos examinabant, nominandus est praeprimis GR. VOSKRESINSKIJ, linguae palaeoslavicae professor in academia ecclesiastica Moscovensi. Summam pervestigationis suae circa S. Marci Evangelium a. 1896 in lucem edidit sub titulo « *Harakterističeskija čerty četvreh redakcij slavjanskago perevoda evangelija ot Marka* » (Quattuor redactionum veteroslavicae S. Marci versionis lineamenta characteristic) ⁽²⁾. In hoc opere, quid VOSKRESENSKIJ de relatione codicum veteroslavici S. Marci antiquissimorum ad textum graecum sentiat, attentione nostra dignum est. Auctori persuasissimum est de perfecta palaeoslavici textus congruentia cum textu, quem codices manuscripti graeci, in ecclesia Constantinopolitana saec. VIII-X usitati, reddunt. Cum isti codices ad

⁽¹⁾ Versio Evangeliorum atque pericoparum, quae in liturgia occurrunt, *S. Cyrillo*, qui ante monasterii ingressum *Constantinus* appellabatur, communiter tribuitur.

⁽²⁾ Čtenija v imperatorskom obščestvė istorii i drevnej rssijskih Kniga 1 Moskva 1896.

recensionem, quam dicimus, Constantinopolitanam seu Lucianam (Antiochenam) pertineant, etiam de SS. Cyrilli et Methodii textu dicendum, eum similiter ac versionem syriacam vel gothicam esse testem recensionis Luciani. Quam sententiam ut confirmaret, VOSKRESENSKIJ locos evangelicos, qui in Photii, patriarchae Constantinopolitani et S. Cyrilli magistri, operibus inveniuntur, cum locis parallelis in biblia veteroslavica comparando, probare conatus est S. Cyrillum in versione palaeoslavica adornanda eundem textum, quo Photius usus sit, prae manibus habuisse. Locos triginta septem S. Scripturae ex Photii operibus adducit, ubi auctor Evangelii veteroslavici constanter textum Photii, ergo textum in ecclesia Constantinopolitana tunc temporis usitatum, seu aliis verbis, recensionem Luciani Antiocheni sequitur. Hucusque Voskresenskij (p. 119-135).

Textum veteroslavicum ad recensionem Constantinopolitanam pertinere hodie communiter docetur ⁽¹⁾. Quae tamen opinio solidis argumentis non fulcitur. Nam non obstantibus multis lectionibus, quas Evangelia veteroslavica communes cum Luciani recensione habent, codices veteroslavici antiquissimi, a correctoribus nondum immutati et textum plus minusve archetypo graeco similem exhibentes ⁽²⁾ (v. gr. cod. *Assemani*, *Zographensis*, *Marianus*, omnes ad saec. XI pertinentes), etiam lectiones antiquiores recensionis Hesychii seu Alexandrinae et Palaestinensis (Pamphili) haud raro continent.

VOSKRESENSKIJ quasdam lectiones Alexandrinas in textu antiquissimo veteroslavico inveniri non quidem negat, attamen parum ad hoc advertens lectiones non-Constantinopolitanas leviter explicat dicendo eas per oratores et exegetas in ecclesiam Constantinopolitanam illatas, vel per codices, quos iuxta EUSEBIUM (*Vita Const.* 4, 34 ss.) Constantinus M. imperator a. 331 pro ecclesiis a se fundatis transscribendos curaverit, vulgatas esse atque indirecte ad familiam codicum Byzantinorum pertinere.

Quae explicatio admitti non potest. Nam lectiones Alexandrinae sat numerosae sunt, certe numerosiores quam VOSKRESENSKIJ putat. Quatenus hucusque evangelicum textum S. Cyrilli sub hoc respectu perscrutatus sum, tertiam fere partem lectionum variarum sequi recensionem Hesychii et a Constantinopolitana recensione discrepare inveni. Tantus autem numerus lectionum alienarum saec. IX in ecclesia Constantinopolitana existentium explicari non potest, cum potius

⁽¹⁾ Cf. V. JAGIĆ, *Zum altkirchenslavischen Apostolus* 1, Wien 1919, p. 43.

⁽²⁾ Codices enim iuniores textum ad recensionem Constantinopolitanam prorsus correctum reddunt.

constet Luciani recensionem, ab ecclesia Constantinopolitana acceptam, iam inde a saec. IV magni momenti in Oriente fuisse et ad eius normam reliquos textus correctos esse (cf. H. v. SODEN, *Die Schriften des Neuen Testaments* 1, 2, Berlin 1906, p. 708).

Immerito etiam VOSKRESENSKIJ provocat ad codices Constantini M. cura adornatos, cum quinquaginta codices eodem tempore eiusdemque viri cura transcripti indubie eundem vel saltem similem textum exhibuerint et potius uniformitatem quam varietatem inducere potuerint. Insuper a temporibus Constantini imperatoris usque ad Constantinum-Cyrillum spatium quinque saeculorum intercessit, quod ad lectiones alienas (si adessent) auferendas abunde sufficebat.

Sed gravissimum argumentum contra thesin a VOSKRESENSKIJ defensam est, quod Photius non recte profertur in testimonium, S. Cyrillum textum Byzantinum secutum esse. Verum quidem est Photium citando in suis operibus locos biblicos recensionem Constantinopolitanam sequi, quod VOSKRESENSKIJ pro Evangelio S. Marci satis probavit et quod etiam in locos ex primo Evangelio a Photio citatos inquirendo satis superque confirmatum inveni. Verum quoque est slavicae versionis auctorem hic et nunc easdem lectiones Byzantinas exhibere ac Photium. Sed textum Photii cum textu veteroslavico diligenter comparantem vix fugient sat numerosas discrepantiae inter Photii et Cyrilli textum occurrentes, quarum momentum eo gravius est, quod versio palaeoslavica a Photii textu haud raro declinat recensionem Hesychianam sequens⁽¹⁾. Pauca exempla haec optime demonstrabunt. Sed praenotandum mihi videtur, Photium saepe textum biblicum ad libitum immutare eumque contextui et stylo suo accommodare, quod imprimis in quaestionibus ad Amphiloichium directis (PG 101) saepe occurrit. Ideo his locis in critica textus investigatione caute tantum uti possumus. Versio tamen palaeoslavica tam fideliter et accurate textum graecum reddit, ut ipsae lectiones variantes, textum Constantinopolitanum, Palaestinensem, Alexandrinumve connotantes, in illa exprimantur. Testimonium textus veteroslavici augetur mira concordantia codicum vetustissimorum (*Assem.*, *Mar.*, *Zogr.*) quoad lectiones, varias recensiones connotantes.

Mt. 5, 48: Ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὡς ὁ Πατήρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐστιν (PHOTIUS, *contra Manich.* 2. PG 102, 104). — Ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς: rec. Const. — Rec. Alex. et Palaest., cum qua et Veterosl.: ὁ οὐράνιος (*nebes'n'i*).

(1) Textum veteroslavicum ex codicibus *Assem.*, *Zogr.*, *Mar.* (qui communiter antiquissimi habentur) deprompsi.

Mt. 6, 22: Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός: ἐὰν οὖν ἦ ὁ ὀφθαλμός σου ἀπλοῦς, ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινὸν ἔσται. — Hunc verborum ordinem optimi codices Alex. et Palaest. exhibent eosque sequuntur cod. slav. — Photius cum cod. Byzant. legit: ἐὰν οὖν ὁ ὀφθαλμός σου ἀπλοῦς ἦ (*C. Manich. 1. PG 102, 72*).

Mt. 15, 6: Ὑμεῖς ἠκυρώσατε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ διὰ τὴν παράδοσιν ὑμῶν (PHOTIUS, *C. Manich. 2. PG 102, 109*). — Τὴν ἐντολὴν: rec. Const. — Vetro-sl. cum cod. Alex. et Palaest.: τὸν νόμον (*zakon*).

Mt. 13, 52: Πᾶς γραμματεὺς μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐξβύβλει ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιά (PHOTIUS, *C. Manich. 4. PG 102, 217*). — Εἰς τὴν βασιλείαν legunt cod. Const.; cod. vero Alex. et Palaest. una cum veterosl.: τῇ βασιλείᾳ (*carstvu nebes'numu*).

Similes discrepantias, ubi auctor versionis palaeoslavicae codices aegyptiacos (Hesychianos) sequitur, invenire potes etiam apud *Mt. 2, 8* (PHOTIUS, *Ad Amphil. qu. 307. PG 101, 1152*); *Mt. 6, 24* (PHOTIUS, *C. Manich. 4. PG 102, 97*); *Mt. 6, 30* (PHOTIUS, *C. Manich. 4. PG 102, 204*); *Mt. 24, 36* (PHOTIUS, *Ad Amphil. qu. 114. PG 101, 673*); *Mt. 26, 63* (PHOTIUS, *Ad Amphil. qu. 21. PG 101, 156*). Itaque *novem* lectiones in solo S. Matthaei Evangelio a Photii textu graviter discrepantes. Differentiae minoris momenti plures inveniuntur. E contrario *decem* tantum locos invenire potui, quos veteroslavicum S. Matthaei Evangelium cum Photio iuxta recensionem Byzantinam communes habet.

Haec exempla, ex uno tantum Evangelio deprompta, iam ostendunt sententiam circa relationem Constantini-Cyrilli ad Photium in versione veteroslavica adornanda, a VOSKRESENSKIJ prolata, corrigendam esse. VOSKRESENSKIJ paucos tantum textus Photianos leviter cum veteroslavice comparavit opinione praeconcepta ductus, SS. Cyrillum et Methodium, Photii sectatores fuisse eundemque ac Photius textum N. T. secutos esse.

E contra attentione dignum est Constantinum-Cyrillum, quamvis olim Photii discipulus fuerit, immo ad tempus Constantinopoli in schola publica magistri munere functus sit, nihilominus recensione Byzantina, quam Photius constanter sequitur, usum non esse.

Recenter J. VAJS, professor in universitate Pragensi et celeberrimus monumentorum veteroslavicoꝝ scrutator, theologorum animos ad palaeoslavica S. Scripturae versionem advertere studuit. Sed et hic (similiter ac VOSKRESENSKIJ) opinione praeconcepta ductus erat textum SS. Cyrilli et Methodii a textu in ecclesia Constantinopolitana usitato non differre. In veteroslavica epistolae S. Iudae Apostoli

versionem inquirens, ex eius relatione ad recensionem Constantinopolitanam et Alexandrinam conclusit recensionem Constantinopolitanam recentiorem parum notam esse. Veteroslavicam autem versionem, etsi aetate iuniorem, qua testem graeci textus, saec. IX Constantinopoli divulgati, conferre posse ad recensionem Byzantinam recentiorem melius cognoscendam ⁽¹⁾.

Ergo nec VAJS nec VOSKRESENSKIJ discrepantium inter textum S. Cyrilli et scriptorum Byzantinorum saec. VIII et IX rationem habuerunt. At discrepantias tales existisse et textum veteroslavicum alium quam Byzantinum fuisse non tantum Photius testatur, sed etiam THEODORUS STUDITA, qui saec. VIII exeunte et IX ineunte vixit.

Textus biblici, quos Studita in epistolarum libris duobus affert, multi quidem sunt, plurimi autem ex eis non ad verbum positi, sed haud dubie ex memoria allati sunt ideoque criticae investigationi inservire non possunt. Quae vero in aliis Studitae operibus ex S. Scriptura allegantur, paucis exceptis diligentissime ex codicibus biblicis manuscriptis descripta esse videntur. Sexaginta textus evangelicos inquisitioni criticae subiecti et sequentia inveni:

Etiam Theodorus Studita evidenter sequitur codices Constantinopolitanos; nam triginta lectiones Lucianae recensionis ibi reperiuntur. Textus palaeoslavicus cum Theodoro Studita in lectionibus Constantinopolitanis concordat undecies, *septies* autem differt ab eo et recensionem Alexandrinam sequitur, ubi Theodorus Studita habet lectionem Constantinopolitanam ⁽²⁾, et quidem Mt. 14, 28 (*STUD.*, *Adv. iconom.* 2. PG 99, 489); Mt. 14, 29 (*ib.*); Mt. 17, 24 (*Adv. iconom.* 2. PG 99, 492); Mt. 10, 8 (*Or.* 9. PG 99, 777); Ioh. 1, 39 (*Antirrh.* 3. PG 99, 401); Ioh. 19, 26 (*Or.* 99, 784-bis). Insuper auctor Evangelii veteroslavici a Th. Studita discrepat hisce locis: Mt. 22, 21 (*Antirrh.* 3. PG 99, 417); M. 18, 10 (*Or.* 6 PG 99, 753); Lc. 1 2 (*ib.*); Mc. 11, 23 (*Or.* 9. PG 99, 777); Mt. 19, 21 (*Or.* 11. PG 99, 812); Mc. 6, 18 (*Or.* 11. PG 99, 832).

Exempla textus biblici ex Photii et Theodori Studitae operibus allata manifeste ostendunt saec. IX Constantinopoli textum usitatum esse, qui saltem a lectionibus Alexandrinae recensionis purgatus iam erat ⁽³⁾ et a textu, quem versio veteroslavica exhibebat, differebat.


(1) Časopis katolického duchovenstva, Praha 1918, p. 189-196 et 437-440.

(2) Reliquae lectiones variae ita cum indole linguae graecae cohaerent, ut in versione exprimi non possint.

(3) Nam lectiones quaedam Palaestinenses (Pamphili) in multis codicibus Constantinopolitanis atque etiam in Photii et Studitae operibus inveniuntur. Cf. v. SODEN, *Griechisches Neues Testament*, Göttingen 1913, p. XIX s.

Ubinam ergo querendus est fons differentiarum, quae inter textum veteroslavicum et recensionem Byzantinam intercedunt? Ex dictis patet quaestionem, unde lectiones Alexandrinae tam numerosae in versione veteroslavica, facillime solvi, si supponatur in patriarchatu Constantinopolitano iuxta ecclesiae Constantinopolitanae textum, qui in veteribus codicibus Lucianae recensionis ac partim in Photii aliorumque scriptorum operibus superstes est, alium textum exstitisse, Constantinopolitano similem, sed lectionibus antiquioribus non modice permixtum. Talis autem textus servari potuit in monasteriis *Olympi*, ubi sancti fratres, antequam in Moraviam profecti sunt, plures annos commorabantur, sicut duae legendae Pannonicae (saec. IX exeunte scriptae) memoriae tradiderunt. De S. Methodio enim legenda haec refert: « Multis in illo principatu (i. e. „Slovenico”, verisimillime in Macedonia, ubi Methodius ab imperatore procurator constitutus est) annis peractis cum in hac vita turbas innumeras videret, transmutavit tenebras terrenas cogitationibus caelestibus. Nolebat enim animam pretiosam inquietare rebus non manentibus in aeternum et data occasione principatu solutus ivit in Olympum, ubi sancti patres vivunt, et postquam se totondit, nigra vestimenta (cepit) et obediebat humiliter, perficiens omnia et totam expens monasticam regulam in libros incumbabat » (*Vita Meth.* c. 3). Similiter Constantinus-Cyrillus aulae caesareae splendorem fugiens et Methodium fratrem sequens in solitudinem Olympianam abiit ibique plures annos, monasticae contemplationi et studio deditus vixit: « In Olympum autem profectus ad Methodium fratrem suum coepit vivere et orationem facere sine intermissione ad Deum, tantum cum libris loquens » (*Vita Const.* c. 7).

In monte Olympo (in Asia, prope hodiernam urbem Brussa) et in regione vicina multa monasteria sita erant et omnium patriarchatum omniumque nationum orientalium monachi illuc confluebant (sicut temporibus recentioribus in montem Athos). Cum propter haereses et Mohammedanorum invasionem vita ecclesiastica Aegypti vigere desiisset, monachis Aegyptiacis Olympus refugium praebuit ibique traditiones antiquae Alexandrinae usque ad Cyrilli et Methodii tempora conservabantur. Sic fieri potuit, ut in codicibus manuscriptis, qui in monasteriis Olympianis custodiebantur et transcribebantur, lectiones Alexandrinae, quae secus in codicibus tantum Aegyptiacis inveniuntur, usque ad saec. IX retinerentur, dum in patriarchatu Constantinopolitano Luciani recensio vigeret. Quid ergo mirum, si etiam in codicibus veteroslavice vetustissimis vestigia huius monastici textus inveniuntur? Hoc eo minus mirandum est, cum probatum sit SS. Cyrillum



et Methodium etiam in aliis quaestionibus traditiones orientales (Alexandrinās), a Byzantinis, tam Photianis quam monasticis (Theodorus Studita!) discrepantes, secutos esse atque in litteris veteroslavicis alia quoque multa, quae in litteris graecis perierunt, servata esse⁽¹⁾. Itaque versio veteroslavica testis est N. T. recensionis, quae in codicibus graecis servata iam non est.

Ad theologum versio veteroslavica non tantum ratione eius momenti pro historia sacri textus, sed etiam ideo pertinet, quia testis est *exegeseos* SS. Cyrilli et Methodii. Quo curiosius philologi slavici textum veteroslavicum ex parte philologica perscrutabantur, eo magis opinio invalescebat, translationem quidem esse accuratam, sed non servilem, diligentem sed et elegantem eiusque translatores tum ad syntaxin, tum ad spiritum slavicae linguae respectum habuisse. E BERNEKER de *arte* traducendi (*Übersetzungskunst*) S. Cyrilli loquitur⁽²⁾ et V. JAGIĆ in suis operibus⁽³⁾ multis testimoniis ostendit versionem veteroslavicam perfectissimam esse. Talis autem versio saltem aliquatenus translatoris exegesis praebere eiusque theologiae eruditionis testis esse debet. Revera concedendum est primum translatores, S. Cyrillum, non tantum bonum philologum, sed etiam eruditum theologum fuisse. Absque difficultate enim cognosci potest auctorem in vertendo, praepriis in electione verborum non secus rationibus theologicis (exegeticis) quam philologicis (grammaticis) ductum esse. Quaedam exempla haec optime illustrabunt.

Mt. 5, 37 et 5, 39 in textu graeco occurrit terminus πονηρός (5, 37: Ἔστω δὲ λόγος ὑμῶν καὶ ναί, αἶ αἶ· τὸ δὲ περισσὸν τούτων ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστίν. — 5, 39: ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ). In cod. *Assem.* (qui est evangelistarium) pericopa, hunc textum continens, non invenitur. Sed cod. *Mar.* et *Zogr.* vocem πονηρός prima vice reddunt per *neprjazn'*, secunda vice per *z'p. Neprjazn'* significat diabolum, *z'p* malum (ὁ πονηρός vel τὸ πονηρόν, generaliter absque ulla limitatione, ergo etiam hominem malum)⁽⁴⁾. Translator slavicus cum quibusdam graecis interpretibus iusiurandum a diabolo ortum ducere in sua versione insinuare voluit.

Verba ambigua καθεύθετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε (Mt. 26, 45)

(1) Cf. F. GRIVEC, *Doctrina Byzantina de primatu et unitate ecclesiae*, Ljubljana 1921, p. 90-93.

(2) *Indogermanische Forschungen* 31 (1912-13) 412.

(3) Imprimis *Entstehungsgeschichte der kirchenlavischen Sprache*, Berlin 1913; *Zum altkirchenlavischen Apostolus* 1. 2, Wien 1919.

(4) Cf. JAGIĆ, *Entstehungsgeschichte* p. 306, 369.

slavicus translator modo imperativo, non interrogativo prolatus accepit et vertit: *s'pīte pročee i pročivaite* (*Assem., Mar.; Zogr.: i pročee*). Quod ideo memoratu dignum videtur, quia PHOTIUS haec verba explicans, sic habet: « Non enim pronuntiativa locutio est, sed eius, qui interrogando socordiam obiurgat » (*Ad Amphil.* qu. 1. PG 101, 69). Ergo hic locus iam S. Cyrilli tempore varie ab exegetis explicabatur.

Ioh. 4, 35: ἐπάρατε τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν καὶ θεάσασθε τὰς χώρας, ὅτι λευκαὶ εἰσιν πρὸς θερισμόν. Pro graeca voce λευκός auctor hic loci non ponit *bél* sicut communiter (ex. gr. Mt. 5, 36; 17, 2), sed *plav*^o (lat. flavus), quo termino aptissime color tritici maturescentis exprimitur.


Locum insignem de S. Petri primatu: Σὺ εἶ Πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν (Mt. 16, 18) non omnes codices veteroslavici eodem modo exhibent. Plerique verba ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ secundum graecum textum vertunt: *na sem^o kamene* (super hunc lapidem, super hanc petram). E contra *Assem.* et duo alii codices (*Nikolski, Hvalov*) vocem πέτρα non vertentes (utique autem genus mutant) habent: *na sem^o petrê* (super hunc Petrum). Cod. *Assem.* est evangelistarium glagoliticum et textum veteroslavicum antiquissimum exhibet. Cod. *Nik.* et *Hval.*, etsi recentiores et litteris cyrillicis scripti, peritorum iudicio transscriptiones archetypi glagolici antiqui sunt. Ideo textus, quem hi codices conservaverunt, absque dubio S. Cyrillum habet auctorem. Etiam si in codicibus palaeoslavice antiquissimis multa vocabula translata non sunt, tamen hoc loco auctor vocem πέτρα ex rationibus theologice (exegetice) non reddidit per vocem veteroslavice, ut contra doctrinas Byzantinas illius temporis (schisma Photii!) ideam primatus Romani Pontificis clarius exprimeret. Alii iam satis probaverunt SS. Cyrillum et Methodium doctrinam catholicam de primatu Romani Pontificis ingenue defendisse doctrinasque Byzantinas strenue oppugnasse⁽¹⁾. Ceterum cod. *Assem.* vocem πέτρα bis reddit sicut *Mar.* et *Zogr.* per slavice vocem *kamen^o*. Ergo hic locus etiam pro historia dogmatum magni momenti est.

Haec pauca ad historiam sacri textus et exegeseos atinentia sufficienter probant, theologorum opinionem de versione veteroslavica usque adhuc vigentem corrigendam esse. Hodie indubie constat, momentum versionis SS. Cyrilli et Methodii spernendum iam non esse.

Ljubljana, 11 Febr. 1922.

Dr ANDREJ SNOJ
Prof. S. Scripturae.

(¹) F. GRIVEC. *De orthodoxia SS. Cyrilli et Methodii*, *Bogoslovni Vestnik* 1 (1921) 1-17; *id.*, *Doctrina Byzantina de primatu* p. 81-93.



BS
2325
.S64
IMS

Snoj, Andrej.
Veteroslavicae versionis
Evangeliorum pro critica et exegesi
sacri textus momentum. --

